



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvis Est Vsvs Nominis Gratiae?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

nam ideo annuntiatur remissio, ut maneat peccatum & mors, sed ut recipia aboleantur, & iusticia & uita æterna restituantur. CUM igitur de iustificatione peccatoris dicitur, necesse est semper primum cogitare de remissione peccatorum & de reconciliatione, iuxta promissionem. Quia etiam si haberemus omnes Angelorum uirtutes, & nos sciremus nos placere Deo, nullam consolationem haberemus.

IDEO iuxta Paulum semper hoc modo definimus Iustificationem: Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis seu acceptationis gratiæ propter filium Dei, quæ cum fide accipitur, uerissimum est simul filium Dei corda uiuificare, dicere consolationem in cordibus per Euangelium, & Spiritu sancto accendere tales motus, qualis est ipse, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Quia igitur necesse est accipi remissionem peccatorum, & nouitas non est integra in hac uita, Paulus nominat imputationem iudiciæ, reconciliationem, quæ propter mediatorem recipimur.

QVIS EST VSVS NOMINIS Gratia?

GRATIA apud Paulum in hac doctrina significat Ebrææ phrasim misericordiam gratuitam, uidelicet remissionem peccatorum & reconciliationem, seu acceptationem gratiam propter filium Dei, quæ cum fide accipitur, simul filius Dei uiuificat corda, & per Euangelium dicit consolationem in corde, & accendit Spiritu sancto tales motus, qualis ipse est. Sic nominat Paulus gratiam, & donum per gratiam, ut supra dictum est.

QVIS EST VSVS NOMINIS Fidei?

FIDES est assentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo, propter filium, accedens ad Deum, & inuocans eum, & clamans Abba Pater, quæ sentitur in credentibus, & in ueris pauoribus affert consolationem & læticiam, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. COM-

PLACTIMUR ergo appellatione fidei omnes articulos simul, & nominatim hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, & uitam æternam, qui sic intelligendus est in uera conversione: Credo remissionem peccatorum non tantum alijs dari, sed mihi quoque. De hac fide, quæ sibi unusquisque in conversione & consolatione promissionem applicat, loquitur Paulus Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sic summa promissio. Promissio autem & cæteros articulos Symboli continet. Hæc plana & perspicua sunt in uera consolatione & inuocatione.

A c discrimen conspici necesse est, inter noticiam huiusmodi, qualis est in Diabolis & impijs, & hanc fidem, quæ simul &